

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
PESTE ORIENTALI.

Quam  
Consensu et Auctoritate  
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI  
DOMINI  
PRAESIDIS AC DIRECTORIS,  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,  
nec non  
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM  
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
pro  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
SUMMISQUE IN ARTE SALUTIFERA HONORIBUS AC  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME  
CONSEQUENDIS,  
publicae disquisitioni submittit  
*Marcus Marchand,*  
Constantinopolitanus.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus.

---

VINDOBONAE,  
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

MDCCCXXI.

# THE NATIONAL BUREAU OF INVESTIGATION

UNITED STATES DEPARTMENT OF JUSTICE

WASHINGTON, D. C.

REPORT OF THE DIRECTOR

TO THE ATTORNEY GENERAL

RE: [REDACTED]

DATE: [REDACTED]

BY: [REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

**Patri Optimo**



**Gratissimus filius.**



## Lectori Benevolo.

---

**D**issertationem aliquam ut more praeceptum est scribendam compulsus, ex vasto medicinae campo, pestem orientalem pro themate selegi. Cursus medici limitibus vix junctus, vires meae exiguae, argumenti tractandi difficultates, quas clarissimorum virorum ingenia nondum penitus perlustrarunt, me quidem perterruerunt et tamen rei propositae renunciare non coegerunt. Causa princeps, quae me ut hoc facerem impulsit, est morbus ipse, qui patriae meae hostis implacabilis, in infantia jam talem animo impressionem infixit, ut vestigia ejus, haud hucusque deleta sint. Verum ab observationibus propriis inops, opera variorum loimologorum in auxilium vocavi, quorum ope, pro viribus pagellas aliquot conscripsi.

**Multa esse explenda, persuasum habeo; spe tamen mihi blandior, quod iudicium non adeo severum pronuntiabit benevolus lector, de primo hoc in scientia medica tentamine, cui indulgenti animo favere quaeso.**



## Morbi definitio.

---

**P**estis <sup>1)</sup>, typhus orientalis, typhus pestilens, sive anthracicus, sive bubonicus, loimopyra, graece λοιμὸς, et vulgo πανώλη, σκληρόλα, θανατικόν, est morbus contagiosus, acutissimus, valde lethalis, nunc cum, nunc sine febre decurrens, cujus signum characteristicum, bubones constituunt et anthraces s. carbunculi, quibus, sub majori morbi vehementia, petechiae et vibices subjunguntur.

Haec definitio pestis, ideam exprimit morbi generalem, qualis plerumque adparere solet, nequaquam autem adeo firma est, ut pro omni illius forma conveniret, quum detur pestis absque ullo exanthematis pestilentis indicio, quod, tunc praeprimis accidit, ubi morbus ad summum ferociae gradum caput extollens, nullisque ipsi obicibus positus, citissime necat.

Sub talibus circumstantiis, morbus atrox, naturae proteiformis, haud raro cum febribus putridis, nervosis, typho contagioso, et aliis malignis confundi potest <sup>2)</sup>. Medicus igitur qui diagnosim pestis firmare studet, ad sequentia rite attendit.

---

1) Etymon derivatum dicitur a verbo πίπτω, cado, unde πείσημα, casus, et πείσησός pestis.

2) Quam difficile sit, pestem ab aliis morbis illi similibus distinguere testatur

H a e n, von der Pest. Bascl. 1789.

Si nempe, repente multi aegrotant homines, interque primum, alterum, vel tertium emoriuntur nyctemerum; si aegri vertigine, cephalaea vehementi, subitanea virium prostratione, praecordiorum doloribus, deliriis, vomitu, temulentia, sine causa manifesta corripiebantur, et mortalitas celeri procedit passu, suspicio statim moveri debet, si non de peste, saltem de morbo suspectissimo. Verum si constiterit, defunctos aegrosque, communicare potuisse cum objectis ex regionibus crebro peste adflictis provenientibus, cum nautis, vel cum aliis individuis ex iisdem advenientibus locis, si pestis in viciniis grassatur, tunc morbus praesens, pestis dicendus, etsi pro momento, exanthema pestilens desideratur. Sunt etiam signa aliqua praecursoria, quae secundum loimographos, proximam morbi apparitionem praesagiunt. Horum praecipua sunt: Epidemiae mortiferae inter animalia domestica, uti canes, feles, quod Constantinopoli vulgo, pro indicio certo pestis habetur. Variolae malignae et febres malignae, uti in Aegypto saepe observatur. Fames omni aevo pro nuntio pestis habita est, quum certe, morbi lethiferi exinde oriantur. Dolores quos in cicatricibus bubonum vel carbunculorum adcusant illi, qui morbo hoc, alio tempore laborarunt, et tandem, abortus frequentes inter gravidas 1).

---

1) Apparitio insueta, innumerabilium insectorum, fuga avium, cometae, et multa similia in opere P. J. de Ferris, Untersuchung der Pestansteckung enarrata, non videntur esse indicia pestis futurae infallacia.

Celeb. Forestus et Mindererus, narrant quod joca infantum funera simulantia, inter signa praecursoria pestis tunc temporis numerabantur, quae magnam mortalitatem praec morbi apparitionem nuntiabant.



Aetatem pestis determinare non valemus; quae de hac dici possunt, circa probabilitatem versantur. Dubitare tamen de nimia illius antiquitate, omnino licet. Si enim patri Medicinae *Hippocrati*, talis morbus notus fuisset, nonne illum descripsisset? Epidemiae de quibus hinc inde loquitur, cum peste apte non quadrant <sup>1)</sup>. Quam veridicus descripsit epidemiam *Thucydides* <sup>2)</sup>, quae tunc Athenas desolaverat, non pestem cum certitudine fuisse, diversae testantur medicorum opiniones. Argumenta illorum, qui probare student, Aegyptum semper fontem fuisse pestis, lectorem non persuadent.

Ex historia scimus, Aegyptum prisca aetate, regionem fuisse fertilissimam et floridissimam. *Herodotus* minutiosus in eo quod Aegyptum, adinet, descriptionem talis calamitatis dedisset, si celebrem illam regionem adflixisset.

Medici arabes, qui primi variolas descripserunt, de tali morbo nihil referunt. Quid dicendum de enorme populositate Aegypti tempore Sesostris, et illa quae secundum *Josephum* <sup>3)</sup> tempore suo, septem miliones et quingentena millia incolarum fuit, praeter incolas Alexandriae? Vocabulum denique pestis, vario modo adhibitum fuit, nulloque modo constat, sub tali nomine prisca, illum intellexisse de quo hic agitur morbum <sup>4)</sup>.

1) Ἀπορίσμ. Προγυμωσ. Ἐπίδ.

2) Thucydides de bello peloponnensi historia. L. II.

3) De bello Judaico. L. II. Cap. XVI.

4) Hisce omnibus Catelina cum summa Reipublicae salute et cum tua peste et pernicie etc. Cicer. Catel. orat. I.

## P e s t i s d e c u r s u s .

Pestis modificationes ad infinitum multiplicantur, ideoque stadia quae decurrit, non idem se habent in qualibet epidemia, neque saepe stadia in tali morbo acutissimo, valde lethali observantur, ita ut saepe et practici ipsi, in errorem labi possunt, an revera morbus praesens, sit pestis vel non 1).

Attamen si morbus mitius decurrit atque longius protrahitur, distinguere vix licet: Stadium infectionis, prodromorum, febris, acmes, criseos, et illud reconvalescentiae.

Horum vero stadiorum decursus est semper inordinatus, raroque contingit medico etsi attentissimo, talem decursum, ab initio ad finem usque rite observandi.

1) Sub stadio infectionis, contagium jam in actione versatur cum organismo humano, ast nulla veniunt adhuc in conspectum morbi symptomata. Effectus contagii, tunc primo percipi possunt, ubi imperium suum, latius extenderit in oeconomia manimalem. Tempus quod inter contagii admissionem, et morbi apparitionem labitur, haud hucusque determinatum est. Gradus vis contagii, et varia organismi reactio, nunc accelerant, nunc retardant morbi

1) Fallebantur itaque, et fallebant medici, qui, quum videbant insolitum nuper invasisse morbum, qui acute decurreret, et singulis pene aegris bubones adferret, hos benignos asseverabant, et morbum pestem esse negabant. *Chenot, tractatus de peste. Vindob. MDCLXXVI.*

Si historiam epidemiarum pestiferarum cum attentione examinaverimus, reperiemus, optimos quosque medicos, in summa dubitatione hae-sisse an morbus suspectus, qui se quandoque manifestaverat, pestis, vel alia species morbi esset. De peste, dysenteria et ophthalmia Aegyptiaca. Auctore Lud. Frank. Viennae 1820.

eruptionem. Celeb. *Samoëlowitz* 1), *Chenotus* cum *Dimerbroekio* 2), valde extendunt hoc spatium; at tamen difficile explicatu manet, quomodo venenum tale atrocissimum per menses ut ultimus vir ille ceber contendit, organismo inhaerere posset sine effectu conspicuo. Narrat imo de homine, qui per quinque menses et duas hebdomadas, contagium in corpore retinuit, antequam morbus eruperit. Veneratione certe dignus est auctor, ast si res ita esse posset, sic dictae quarantenaë, nullius essent utilitatis; de contrario autem quisque persuasus est.

2) Stadium prodromorum incipit cum insolita corporis inertia, gravitate, lassitudine, anorexia, capitis gravedine, torpore, hebetudine. Infecti flent sine causa nota; tanta illis est adiaphoria, ut de objectis hucusque dilectissimis, nulla supersint desideria; qui sub nomine pestis pavebant prius, multi nunc omnem dejiciunt metum. Haec sunt momentanea morbi initia; ad summum post unam diem, alias operit scenas

3) Stadium febrile. Horripilationes, nunc adflantis aerae, nunc levissimi brevisque frigoris, nunc frigidaë aquae adfusae sensatio, aliquando accessum febris mentiens intermittens, cum caloribus interrupta, et magna consuete virium prostratione, initium hujus denunciant stadii. His accedunt: cephalæa pungens, constans, vel per intervalla recurrens; lumborum gravitas et dolor; temulentia, stupor illi non absimilis a venenis narcotis productus; oculorum vigor alienatus, vultus nunc rubi-

---

1) Ueber die Pest. Leipzig 1778.

2) Isbrandi de Dimerbroeck, tractatus de peste. Ultrajecti 1685.

cundus, nunc languens, adffictus; aegroti quasi ebrii balbutiunt, quae omnia proprium inducunt habitum, ex quo practici, facile pestiferum agnoscere censent. Sitis inexplebilis; nausea, vomitiones, vomitus ipse continuus, mucoso-biliosus; lingua capta, alba ac si lacte obducta esset, alia vice sicca, arida, in medio brunescens, ad margines rubra et humida <sup>1)</sup>). Respiratio accelerata, anxiosa, cum tussicula hinc inde peracta. Abdomen intumescit, dolet; intestinorum murmur. Cutis aret et urit. Pulsus sanis frequentiores, pleniores, fortiores. Ceterum signa haec, non sunt constantia; sunt enim pestiferi ad aspectum hominis minime aegroti, offerentes.

Persentiuntur nunc vibrationes lancinantes versus axillas, inguina, parotides, quas nonnulli aegrorum a primo sanitatis recessu accusant, veri apostematum pestilentorum nuntii. Erumpunt bubones et anthraces citissime, vel eodem tempore vel vicissim, quo sub statu, nullum superest de peste dubium.

Bubo pestilens, est tumor inflammatorius glandularum inguinalium, axillarum, cervicalium, aliarumque lymphaticarum, profundus et dolens. Incrementum pedetentim et elevatur ad ovi galinacei magnitudinem et ultra, qui, viribus vitalibus deficientibus, cito retrocedit; sub exitu feliciori, terminatur suppuratione, nec non gangraena.

Bubones in scirrhum abire posse, celeb. *Chenotus* in ipso expertus est corpore, et vidit talem bu-

---

1) Paris et Grohmann, considerant hanc conditionem linguae, ut signum pathognomicum.

bonem in homine Anno 1718 peste afflicto, quem tamen sine incommodo gerebat. *Larrey* autem et *Samoëlowitz* adfirmant, bubones nunquam parenchyma gangliorum lymphaticorum adgredi, verum se semper, vel subter, vel circa ganglia manifestare <sup>1)</sup>. Numerus bubonum est inconstans; frequentissime unus tantum, alterutrum inguen; aliquando alterutram axillam occupat. Parotis tumens, ut plurimum comitem habet sub axilla aut inguine bubonem.

Carbunculus s. anthrax pestilens, tumorem offert durum, ardentem, valde inflammatum, qui ubique in corpore apparere potest, e pustula exigua velociter crescens <sup>2)</sup>. In apice ipsius, separata epidermide a cute, vesiculam videre licet, minoris majorisve magnitudinis, humorem continens ex rubro-flavescentem, lividum et tandem nigrum, sub quo cutis uti et caro ipsa, consumuntur atque emoriuntur. •

Numerus ac extensio anthracum variant omnino. Omnium maximum vidit *Chenotus* in milite, ex duorum confluxu natum, qui totum explebat hypogastrium, a quo sanatus, illud retulit incommodum, quod pars debilior sit, et frigoris impatiens. Idem auctor numerum anthracum ad duodecim usque increcere vidit. Hyeme rariores esse solent, quam aestate et ineunte autumnno.

Sub decursu mitiori, ubi mors finem uti saepius fit, nondum ponit miserorum aerumnis, stadium hoc post unum, alterumve diem, transit ad

1) Dictionnaire des sciences médicales. T. XII. p. 549.

2) Helmontius et alii testantur, se escharam, carbunculi effectum, in ventriculo reperiisse; unde Dimerbroekius concludit, alia quoque viscera eodem malo infestari posse.

4) Stadium acmes. Virium prostratio increscit; moestitia, pusilanimitas, sensus externi deleti, deliria nunc placida nunc ferocia, halitus foetens, linguae flaccidae, exsertae tremor, ingentes circa praecordia dolores, subsultus tendinum, pulsus debiles, molles, intermittentes, myuri, respiratio stertorosa, meteorismus, sudores colliquativi, foetentes, diarrhoeae similes, haemorrhagiae variae; carbunculi gangraenescent, bubones evanescent, vel in ichorosam abeunt exulcerationem; petechiae nigrae, lividae, quibus vibices subjunguntur, decubitus, mortem adstantem denunciant.

Petechiae sunt maculae ex exiguis sanguinis effusionibus in rete mucoso *Malpighii* productae, a magnitudine puncti, ad illam lentis et ultra, discretae, vel latae, rubrae, purpureae, lividae et tandem nigrae; in brachiis, femore, pedibus et pectore, cum funesto plerumque eventu apparentes. Pessimae sunt lividae, nigrae, quibus nec bubo, nec anthrax praecesserunt.

Maculae violaceae, lividae, lineis nigris, quales in flagellatis observare licet, una cum petechiis, aliquando quoque solitariae, praesertim in dorso et in partibus, quibus mox sub cute tendines substernuntur, vibices constituunt. Hic malorum labyrinthus, summus morbi gradus dicendus, ubi vita contra necem luctans, rarissime victrix exsurgit. Sub melioribus auspiciis, inter sextum ad septimum morbi diem, crisis incipere solet.

5) Stadium criticum ad paucas extenditur horas, quum crisis in peste, solemnis plerumque sit. Criseos phaenomena fausta, sunt: sudores copiosi ex cute moderate calida elicti, cum aegrorum con-

spicuo levamine; haemorrhagiae narium modicae, si non debilitant; urinae copiosae cum sedimento; diarrhoeae, etsi rarius sunt salutiferae. Per diversas has excretiones, natura omni ex parte, miasma e corpore expellere conatur. Febris hinc inde exacerbatur, ast promovet bubonum suppurationem, qui rumpuntur, pusque ejiciunt abundans; petechiae ipsae, si sunt rubellae et vires increscunt, pro bono habentur signo. In genere crisis bona dicenda, ubi viribus vitalibus ad debitum robur evectis, excretiones diversae, legibus notis sustinentur. Mala dicenda sub contrariis.

6) Stadium decrementi a crisi bona inductum, lento procedit passu. Symptomata nempe terrifica remittunt; aegroti, ex somno quasi profundissimo expergefati, se melius habere referunt; pulsus reviviscit, diapnoe reddit in lingua, cutis mollis, lenissimo obtegitur sudore. Cessant pedetentim nausea, vomitus, cardialgia, anxietas, sopor, deliria, vel saltem minuuntur. Componitur physiognomia, caput percipitur levius, reddit conscientia, remanet tamen amnesia, perstat susurus aurium, sitis decrescit, incipit appetitus, somnus est frequens, valde reficiens, sphacelus a carbunculis generatus, a vivo separatur, vires vitales increscunt. Tali modo, spatio quinque vel septem dierum, accedit

7) Stadium reconvalescentiae. De morbo nihil superest, nisi sequelae. Macilentia summa, debilitas, in extremitatibus inferioribus praecipua; barycoia vel et surditas completa; defluunt capilli, increscunt desideria naturalia, voracitas ad buliniam usque degenerat; obstructions et catameniorum turbae, saepissime observantur. Reconvalescentes, au-

ram adhuc spirant pestiferam, et receptivitatem pro subsequis infectionibus nequaquam amittunt 1). Sensim haec omnia evanescent, redditque sanitas perfecta, multo citius quam post alios morbos acutos.

Talis observatur generatim pestis decursus, cujus modificationes larvasque multifarias, opusculi hujusce limites, viresque nostrae exiguae, enumerare vetant. Hoc tamen monendum est, quod et de pestis plus minusve regulariter decurrentis, phaenomenis variis, varii loimographi non concordent, quum non quaelibet epidemia, ubique eadem decurrat ratione. Sic a se differunt, quae celeb. *Samoëlowitz* et *Mertinus* in Russia, *Desgenettus*, *Savaresius*, *M' Gregorius* in Aegypto, *Dimerbroekius Noviomagi*, *Bertrandus* decimo-octavo saeculo Massilia, et alii in aliis observarunt locis. Quantum in hoc climatis influxus, vehementia morbi, individualitas aegrorum, anni tempora, complicationes cum aliis morbis contribuunt, per se patet.

## Morbi exitus.

Pestis exit in sanationem, alios morbos, et quod saepius fit, in mortem.

In sanationem, si individuum bonae fuerit constitutionis, morbis praegressis non debilitatum, pestis simplex, mitior quam de more, non anomala, crisis non turbata, si symptomata non fuerint vehementia, si aegri methodice tractantur. Hicce pestis

---

1) Novi ipsemet Constantinopoli, hominem qui contendebat octies peste laborasse.



exitus rarus, partim ope fit artis, maxime autem per vires naturae medicatrices, praecipue circumstantiis faventibus. Ars si aliquid praestare potest, non nisi primo et secundo stadio, naturae conamina adjuvando, ut eliminetur hostis infestus ex organismo humano, vel saltem ut assimiletur.

In morbos abit alios, si crisis fuerit imperfecta, inordinata, in cursu suo turbata, si reconvalescencia tarda, aeger morbis jam aliis tentatus, et si metastases internae et externae, organa adgrediuntur nobiliora, unde varia oriuntur mala, uti cephalae chronicae, baryecioiae, surditates, phthises, ulcera, scirrhii, et s. p.

Pestis finitur plerumque morte, sed non omnes peste infecti ex peste moriuntur. Carent enim persaepe miseri omni auxilio humano, quumque se sorti iniqua derelicti videant, animi pathematibus pereunt. Mors sequitur per apoplexiam, virium vitalium defectum et per gangraenam. Apoplexia sanguinea, rarius nervosa, locum habet die morbi primo, secundo, vel et serius; talis dicitur esse mors illorum qui repente in plateis emoriuntur, in urbibus ubi pestis grassatur. Vires vitales extinguuntur, per haemorrhagias, diarrhoeas et sudores excessivos. Mors ex gangraena interna, praesagitur jam die quinta sextave, si cutis sudore glutinoso frigidoque obtegitur, et si aegri, siti clamosa, atque calore ardente pressi, nudi lectos deserunt, cisternas quaerentes, in quas ubi non impediuntur se praecipitant.

## Autopsiae cadaverum.

Horror, quem pestis incutit, deterruit plurimos a sectione cadaverum hoc morbo defunctorum. Attamen nec defuerunt viri humanissimi, qui, pro publica salute, pericula mortis contempserunt, ad perlustrandam morbi ferocis sedem. Breviter referam principalia, quae ex illorum haurire potui indagationibus. Saeculo sexto, cadavera pestiferorum nihil obtulerunt, praeter anthraces et gangraenam horribilem. In illis saeculi decimi septimi, viscera visa sunt gangraenata; cor, pulmones et hepar, maculis nigris notati; vesicula felea, atra, spissaque bile repleta; intestina crassa, sanguine grumoso plena. *J. F. Schreiberus* refert, quod durante peste anno 1738 in *Ukraina*, pulmones cadaverum inventi sint, gangraena vitati, nigri; cystis felea, bile liquida repleta. *Samoëlowitz* invenit intestina, ventriculum, cystidem feleam, paululum tumentes, lobum hepatis dextrum, inflammationis indicia prae se ferentem; encephalon, diaphragma, pulmones, pericardium, in statu normali; in cordis cavitatibus, materiam flavam, anserum pinguedini similem. *Savaresius Pelusio* novo, tribus cadaveribus sectis, mucum flavescens, parietibus ventriculi et intestinorum adhaerentem observavit, glandulasque conglomeratas, densissimas, volumine inminutas.

*Larrey* 1) vidit *Joppe*, hypogastrium cadaveris, meteorice tensum, epiploon flavescens, maculis gangraenosis notatum; intestina inflata, subfusca; ventriculum desidentem, multisque in locis pyloro pro-

---

1) Relation chirurgicale de l'armée d'Orient en Egypte.

ximis, gangraena devastatum; jecur voluminosum, vesiculam feleam, atra, foetidaque bile plenam; pulmones ex albo fuscis, striis nigricantibus notatos; cor pallide rubescens, parenchyma ipsius facile dilaceratu, ejusque cavitates, nigrum, liquidumque sanguinem continentes; bronchia simili humore referta. In alio cadavere, hepar fuit majoris voluminis, vesicula felea valde extensa, pericardium, serum cum sanguine mixtum continebat; textus cellulosus rete quasi obtectus, ex vasis sanguine atro, liquido repletis, formato; reliqua ut in cadavere precedente. In peste, quae saeculo decimo-octavo, Massiliam devastavit, *Chicoyneau, Verry et Soulier*, eadem fere observarunt; vasa vero cerebri, ejus tegumentorum, sinusque durae matris, sanguine atro, coagulato, turgidos invenerunt. In his cadaveribus, haud percipiebatur, foetor ille intolerabilis, quem cadavera febribus putridis peremptorum, exhalare solent. Membra ceterum, manent flexibilia, caro mollissima, cutisque emphysematose et oedematose inflata.

## Nosogenia pestis.

Quisque morbus, homines ex dispositione et causa occasionali, sive potentia nocente adgreditur. »Duplex autem homini tribuitur dispositio ad morbum: »generalis et specialis. Generalis, omnem et quem- »cunque hominem premit, quum in ipsa natura huma- »na radicitur; specialis, hominibus singulis propria, »ex rationibus et modis singularibus, quibus vita in »singulo adstricta est, originem suam repetit. Quae »hominis vitam effreni violentia adgrediuntur, po-

»tentiae nocentes, ad morbum provocandum non nisi »generalem dispositionem requirunt 1).«

Tali ratione adgreditur vitam contagium pestis; unde intelligitur, hunc morbum, ex dispositione tantum generali, et causa nocente, homines invadere. Quum vero dispositio haec generalis, omnibus insit hominibus, quomodo fit, ut non omnes peste afficiantur, qui se potentiis illius nocentibus exponunt? Dantur enim, qui impune cum pestiferis in continuo versantur commercio. Ad hanc quaestionem dilucidandam, varii dispositionis generalis agnosci debent gradus, a diversis dependentes circumstantiis.

Cutis ut notum, princeps morborum ex contagio natorum constituit atrium; systematis igitur cutanei receptivitas mox exaltata, mox depressa, contagium pestilens nunc admittit, nunc non. Ita, facile explicatur, cur senum cutis rigida, hos a contagio in medio epidemiarum custodiat; cur homines inertes, phlegmatici, hydropici, caminorum purgatores, saponarii, inter pestiferos valetudine fruuntur; cur pestis hyme sit rarior et mitior, cur denique inunctiones oleosae, optimum constituent prophylacticum. *D. Georgorius Balduinus*, consul Anglicus in Aegypto, qui multa circa pestem observavit, adfirmat quod, inter mille millia hominum ibidem peste mortuorum, nec ullum periisse, ex illis qui toto die, cum oleorum translationibus occupabantur.

Momenta dispositionem generalem ad pestem diversimodo modificantia, sunt: temperamentum irritabile, cutis tenera, unde mortalitas major inter fe-

---

1) Ph. Caroli Hartmann, Theoria morbi. Vindob. 1828.

minas et juvenes delicatos; intemperantia, excessus omnis generis organismum debilitantes, humorum nobilium jactura. Viri inquit *Dr. Bruckman*, minus assueti, si venerem nimis strenue exercerent, brevi post peste corripiebantur, ac cum cymba Charontis, ad Elysios Campos, citissime deferebantur. Inmodica corporis exercitatio, animi pathemata, hypochondria, hysteria, profluvia varia, habitacula humida, tempestas calida, ciborum conditio mala, et s. p. Aequanimitas contra, moralitas, diaeta congrua, exercitia corporis moderata, vini generosi usus modicus, etc., multos incolumes servare contribuunt. Haec omnia sibi opposita, sub certis circumstantiis, dispositionem ad morbum generalem nunc excitant, nunc moderant.

### De causa nocentē.

Causa pestem excitans et propagans, est contagium pestilens. Quales autem sunt causae, contagium generantes? Plurimi qui de peste scripserunt, multas adducunt circumstantias insalubres, quibus morbi inest semen. Hae sunt: modo annonae difficultas, fames, modo diu protractae inundationes, modo bella et sequelae illorum pravae, uti terror, paupertas, devastationes, morbi inde pessimi orti etc.; modo tempestas continuo pluviosa et calida, modo panis, aquae, et aër atmosphaericus vario modo corrupti, omnesque hae circumstantiae, vel solae, vel multae eodem tempore. Quum autem causas singulas, quae pestem uti refertur ubique generare valent, nimis longum esset commemorare, leviter tantum attingam illas, quae in Aegypto ad principium pestis contagiosum gignendum, simul concurrunt; ex illo enim orbis an-

gulo, videtur seminium pestis reliquas infestare regiones, ex salubritatis publicae incuria.

Post nempe exundationes Nili, innumera manent supra solum, vegetabilia, animalia aquatica, nec non cadavera hominum male humata, quae secundum naturae leges, in putredinem abeunt, atmosphaeram corrumpunt, pessimosque habent pedissequos morbos. Aliae causae sunt epizootiae, in illa regione frequentes; qui carnem animalium aegrotorum comedunt, febre grave, putrida, cum anthracibus corripuntur. Aliam in Aegypto circumstantiam gravem, constituit fames; notum enim est, morbos ex ea natos, characterem habere malignum. Talis est porro locustarum numerus, a *Moyse* 1) jam secundum historiam sacram nuntiatae, ex Aethiopia venientes, ut coelum obnubilent. Haec animalium multitudo, non tantum famem causant, sed et putredinem atmosphaerae inducunt; inde febres malignae diversi generis. Variolae malignae persaepe in Aegypto regnantes, Auster per se lethalis, quum non solum animalia sed plantae etiam ab illo adficiantur, totidem sunt causae nocentes a clymate dependentes. Extrema ignorantia populi, summa indolentia, superstitio, coacervatio hominum in tuguriis parvis, vilissimis, in quibus venenum uti in carceribus immundis, plus minusve activum generatur, momenta certe alia gravissima sistunt, ad generationem principii pestis contagiosi.

Hae circumstantiae nocivae, non tantum in Aegypto, sed in aliis quoque regionibus si simul con-

---

1) Extendit Moyses manum suam super terram Aegypti, et Dominus induxit ventum tota die, nocte, et mane facto, ventus urens levavit locustas, quae adsunderunt super universam terram Aegypti.

currunt, morbos valde malignos producunt, qui tandem in veram pestem degenerant. Essentia morbi consistere videtur, in specifico processu liquationis, quem inflammatio cutis, textus cellularis, et systematis nervi, praecipitanter in debilitatem paralyticam et sphacelum abitura, determinata per miasma narcotico-septicum.

## Contagii pestilentis natura et forma.

Contagium pestilens, principiis phlogistico-septici scateri, ex illis deduci potest, quae de causis illius dicta sunt. Conati enim demonstrare sumus, ex fermentatione corporum putrida evolvi, quorum effectus in organismo humano vivo, stuporem nempe, resolutionem, et generalem humorum liquationem, morbi symptomata, effluvia varia et sectiones pathologicae, extra dubium posuerunt. Productum processus liquationis, non potest aliud esse, quam materia naturae phlogisticae, hydrogenio, carbonio, azoto et ammonio abundans. De hoc loquuntur

- a) Effectus qui in organismo humano vivo se manifestant; similes quidem sunt illis, venenorum septico-narcoticorum, stupor, paralysis, colliquatio. Viam autem horum venenorum, ex praedominante hydrogenio dependere, notum est.
- b) Experimenta circa contagium instituta, ad hanc sententiam sustinendam omni ex parte concurrunt. Evictum enim est, corpora contagii pestilentis naturam phlogistico-septicam, eo plus delere, quo plus de oxygenio continent.

*li*, *Millmanni* et *Vaccà* testantur opiniones, qui moment, quod, si in peste sanguis ita immutatus esset ut adseritur, nullus hoc morbo adfectus sanaretur; et tamen sunt qui perfecte et sponte sanantur. Interim, ulteriorem disquisitionem, de agendi ratione contagii pestilentis in organismo humano, intactam relinquere malimus, quum inter mysteria adhuc pertineat, quae nec investigationes celeberrimorum viro- rum hucdum perlustrarunt.

## P r o g n o s i s.

Vehementia atque malignitas morbi, prognosim ut mos est pessimam annunciant. Ego inquit *D. Lud. Frank*, ut fortunam extraordinariam considero, si quis ex morbo evadet. Et revera, symptomatum levitas, nullo modo exitum salutarem pronunciare permittunt, quum mors in medio prodromorum sit frequens. Interim, ex virium vitalium robore constante, melior petitur prognosis. Ita et aetas juvenilis, sexus virilis, morbus simplex, epidemiae decursus mitior, temperamentum phlegmaticum, constitutio robusta, sudor levis et constans, spes salutis recuperandae, in medicamentis fiducia, bona praesagire sinunt. Ad mala signa pertinent; calor intensus et inaequalis, bubo sine levamine apparens, vel cum virium decremento retrocedens; idem carbunculus qui non inflammatur et concidit; sudores colliquativi, vomitus et diarrhoeae profusae, petechiae latae, nigrae, subita et ingens virium prostratio balbutiei juncta, complicatio morbi, praecipue cum scorbuto vel syphilide. In genere, quo plura, quo graviora adsunt symptomata, tanto pejor infecti status.



## T h e r a p i a .

Curam pestis instituturus medicus, magnis ubique premitur difficultatibus, quum nulla detur hucusque methodus therapeutica firma, contra morbum tam rapide decurrentem, uti pestis. Opiniones diversae loimologorum, in causa sunt, cur therapia pestis, jugum subiit variorum systematum. Fuerunt enim, qui pestem pro morbo habuerunt inflammatorio, alii bilioso, et alii illi naturam putridam, malignam, tribuerunt; hinc non mirum videtur, cur modo venesectiones, modo emetica, modo alexipharmaca et diaphoretica, sine distinctione prae aliis praevaluerint. Saepe etiam in penicie aegrorum, omnia simul successive tentata fuerunt, in eodem individuo. Methodus igitur pestem curandi, ut tot alia hunc morbum spectantia, nubibus tecta est.

Interim therapia pestis, in directam, in indirectam sive vitalem, et in symptomaticam dividi potest. Directa eo tendit, ut miasma in organismo latens, destruat, et non nisi initio morbi tentata, alicujus esse potest emolumenti. Indirecta conatur vires vitales erigere, ut contagium jam in corpore humano latius diffusum, enervetur et coërceatur. Cura vero symptomatica, symptomata quaedam morbi magis urgentia, et a cura vitali non evanescentia, per remedia illis propria, vel mitigare, vel penitus sanare conatur.

## C u r a d i r e c t a .

Antidoto ad expellendum contagium ex organismo humano, medicina carente, ad sequentia cum fructu hinc inde confugiunt medici, et quidem.

Ad emetica. Per emesin enim non solum primae viae a saburris et materia biliosa liberantur, sed etiam salutaris excitatur per totum corpus concussio et consensus ope, cutis promovetur transpiratio. Ceterum si ex statu aegri, damnosae metuuntur emeseos sequelae, omnino ab illa abstinendum erit. Sic dicit celeb. *Chenotus*, nos docuit experientia, non ita quidem ut multi existimarunt, emesin in peste prodesse, sed potius absente crassa materia, semper nocere.

Diaphoretica et purgantia saepe per totum morbi decursum continuata, prudentia et ratione adhibenda sunt, quum sudor inmodicus et diarrhoea facillime orta, vires vitales brevi exhauriant. Transpiratio cutis per emetica excitata, regimine moderate calido sustentanda est.

Acida multa aqua diluta, qualia sunt acidum muriaticum, muriaticum oxygenatum, nitricum, sulphuricum, acetum, succus citri, sub variis formis adhibita, contagii vim decomponunt, ideoque maximo cum fructu in usum trahuntur, nisi diarrhoeae metu, contraindicentur. *Wilhelmus Fordyce*, pro potente remedio contra pestem, habet acidum muriaticum oxygenatum, si de eo, singulis quatuor horis, quadraginta guttae exhibeantur <sup>1)</sup>. Opinio vero celeb. *Lud. Frank*, de utilitate acidorum mineralium est minima; effectus enim salutare ab illis expectati, ipsi semper dubii videbantur.

Lotiones et perfusiones cum aqua frigida, a celeb. *Samoëlowitz* cum aqua glaciali institutae, ut efficacissimae contra pestem laudantur. Lotiones similes sub cute tantum sicca pluries de die repetendae.

---

1) Samml. auserl. Abhandlungen fur practische Aerzte XIV. B. p. 434

et summe attendendum, ut aegroti dein bene contegantur, neque actioni aëris se exponant. Frictiones cum oleo olivarum tepido, post observationes *D. Balduini*, et pericula innumera fratris *Ludovici* tentatae, ad admirationem usque saepe successerunt; sed effectus horum tam dilaudatus, non indubitate confirmatur, quum experientia nondum prononciavit, an sudores copiosissimi per hanc methodum prolucati, adeo sint fructuosi ut vulgo adseritur.

Ad remedia externa, aërem atmosphaericum ab effluviis animalibus, putrescentibus, contagiosis, liberantia, pertinent vapores acidi muriatici ex soda muriatica expulsi, dum partibus ejusdem novem, acidi sulfurici concentrati quatuor, in vase vitreo, aut porcellaneo adfundantur.

## C u r a v i t a l i s.

Cura vitalis incipit cum morbo ipso, et uti jam dictum, circa vires aegri rite dirigendas, conservandas, et circa tollenda versatur obstacula, huicce scopo se opponentia. Ubi primum nempe symptomata stadii febrilis in conspectum prodeunt, medicus probe attendat ad gradum et characterem febris, adque genium epidemicum. Quatenus febris, inflammatoriae typum decurrit, cura erit plus minusve antiphlogistica; unde in genere, remedia seligenda sunt temperantia, emollientia, refrigerantia, omnia pro ratione morbi et individui, quae prudens medicus, in quolibet casu sibi adcommodat. Maxima requiritur circumspectio, ubi morbi phaenomena, de venae-sectione loquuntur, quum sanguinis extractio in peste a majore numero medicorum damnabilis praedi-

catur. Tam saepe dicit *D. Lud. Frank*, et tam methodice vena incisa fuit, ut certo adfirmare possimus, cum nullo alio remedio tam numerosa experimenta esse instituta, ac cum hoc. At habueruntne medici exinde ullum emolumentum? Nequaquam. Nihilominus practici, phlebotomiam in peste non omnino repudiant, sed non nisi in certis tantum aegri, et certis morbi circumstantiis admittunt, conservationem virium in peste maxime necessariam, semper prae oculos habentes.

Quum autem ingens virium prostratio, pestis saepius initium, finemque efficiunt, methodo antiphlogistica, longe rarius indigent medici, quam excitante, roborante, antiseptica. In stadio morbi quarto, symptomatibus nervosis, adynamicis, stipato, debilitas est torpida, vel erethica; unde iterum medici rationalis peritia, cum discrimine pro singulo casu, curam dirigit. Medicamina sub debilitate torpida praeferenda, sunt stimulantia fortiora, uti arnica, serpentaria virginiana, valeriana, camphora, aetheres, spir. cornu cervi, liquor miner. *Hofmanni*. Ad vesicantia et sinapismos, tunc confugiendum erit, ubi gangraena non timetur. Frictiones cum spiritibus aromaticis, camphoratis, cum tinct. cantharidum ad spinam dorsi, usus moderatus vini generosi, nervos potenter adficiunt, iisdem stimulos addunt, et mire torporem illum a vi miasmatis inductum, discutere valent. Quae sub debilitate erethica, pro vario virium gradu, teste experientia cum successu adhibentur, sunt: rad. valer., flor. chamom., castor., moschus, assa foetida, aetheres, camphora, etc. Pro aegris valde languidis, quos insignis virium imbecillitas tenet, remediis nominatis, jungenda sunt roborantia, e. g.

cort. peruv., salicis, quercus, etc., cum oloeosaccharis, syrupis, et aquis destillatis gratis unita.

Quamprimum vero criseos phaenomena incipiunt, omne studium medici, ad sustinenda naturae beneficae conamina, tendere debet. Minuenda hinc erunt remedia nimis stimulantia, et attendendum ut collatoria libera sint. Quumque crisis in peste plerumque per sudores fit, his favendum est, per potum aquosum, tepidum, amoene stimulantem, perque regimen subcalidum.

In stadio decrementi, omittantur remedia fortiter stimulantia, aegrorum statui non convenientia, aque ipsis recusata. Exhibenda tamen adhuc sunt, remedia blanda vires aegrorum reficientia, qualia sunt, infusa ex radicibus aromaticis parata, aquae aromaticae, et s. p.

Convalescentes ex peste, nulla alia re amplius indigent, quam remediis roborantibus, nutrimento bono, et cura chirurgica, quae saepe longa et fastidiosa est. Vitandi sunt summa cum attentione, omnis generis in diaeta excessus, et summe munditiei studeant convalescentes. Regulas quas erga societatem humanam observandas habent, ad administrationem salubritatis publicae pertinent.

### Cura symptomatice.

Vomitus, diarrhoeae, haemorrhagiae, bubones, et carbunculi, singularem postulant attentionem. Vomitus effrenis, non levans, sed aegrorum pericula et miseras augens, si reliquae aegri conditiones non vetant, per paregorica et narcotica compe-scendus erit. Aquae menthae, melissae, cum tinctura opii simplicis mixtae, antemeticum *Riverii*, frequenter

et feliciter exhibentur. Si usus eorum internus contraindicatur, confugiendum ad fomenta calida, aromatica, narcotica, ad regionem ventriculi applicata.

Diarrhoea inmodica, vires vitales cito proster-nans, et cutis functionem adeo in peste necessariam turbans, per clysmata adstringentia, mucilaginoso, anodyna, perque fomenta aromatica, camphorata, abdomini super imposita, et si necessitas urget, per opium ipsum scite administratum, adgredienda est.

Haemorrhagiae, graves sistunt in peste appari-tiones, quae statim sub ortu opprimendae sunt. Om-nium consuetissima est illa narium, attractione, vel et injetione in naribus, aquae frigidae, glacialis, cum aceto, spiritu vini, tincturae catechu mixtae, atque applicatione proprii instrumenti chirurgici, *tampon* dicti, sistenda.

Omnes loimographi uno ore commendant, ut bubonum maturatio adjuvetur, et promoveatur. Huicce scopo, sufficiunt cataplasmata emollientia, quae facile parari possunt, ex althaea, malva, oleo lini aut olivarum, farina secalina, et emplastra ea-dem virtute pollentia; quibus, si dolores bubonum aegros nimis molestant, efficacius dolorem obtun-dentia admisceri possunt, e. g. herbae hyosciami, ci-cutae; subinde theriaca Andromachi, omni ratione satisfacit. Sub perfecta maturatione, bubones si per se non fit, lege artis aperiendi sunt, ut materia de-posita evacuetur; aperti vero, curatio eadem plane est, quae vulgarium abscessuum. Ubi autem bubo-num eruptio non promovetur, vel repercussio time-tur, irritantia, qualia sunt vesicantia, sinapismi, tinctura cantharidum emollientibus juncta, bene con-ducunt.

Carbunculorum primum stadium, quo inflammatio est, melalem poscit antiphlogisticam, quam phlegmonis extensio, dolor et ardor, definiunt. Si carbunculi inertes videntur, et dolor abs levamine remittit, emollientibus addi solent, acetum, fermentum panis, scordium, ruta, et fomenta chinacea. Radix cynoglossi a nonnullis auctoribus, tanquam specificum pro carbunculis laudatur. Eschara formata, si per se non eliminatur, scalpello sulcari debet, ut a vivo separetur. Carnis vivae laesio sollicite vitanda, dolorem enim et inflammationem exacerbat. Regimen diaeteticum in omni morbi stadio, cum pharmaceuticis auxiliis collimet. Aër sit purus, siccus, frigidiusculus; animus aegrorum depressus, exhilaretur.



# Theses defendendae.

I.

Syphilis sine mercurio non sanatur.

II.

Aegyptus non fuit semper pestis fons.

III.

Venaesectio in peste non penitus rejicienda.

IV.

Contagium pestilens inter fixa numerandum.

V.

Pharmacum absolutum non datur.

VI.

Febris nervosa et putrida, in contagiosam nonnunquam degenerat.

VII.

Ex neglecta ligatura funiculi umbilicalis, haemorrhagia lethalis possibilis.

VIII.

Pharmaca quae sine matris noxa foetum necant, non existunt.

IX.

Frugalitas ad longaevitatem disponit.

X.

Medicus saepe, instinctum aegrorum consulere debet.

XI.

Pestis diagnosticum unicum, bubones et anthraces constituunt.

XII.

Pro omni abortu requiritur dispositio.

XIII.

Dantur morbi imaginationis qui ideo non imaginarii sunt.

---



